



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Mariae Svaresii, Episcopi Vasionensis, Praenestes  
Antiqvae Libri Dvo**

**Suarès, Joseph Marie**

**Romae, 1655**

De agro Praenestino. 6

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11894**

Plat. Bzon. Blond. Prænesten rursus obsessam, præciso aquæductu, qui vnicus præbebat vrbi potum, capit: & mox rebellio- nem meditatem funditus euertit, Prænestinis Romam migrare iussis anno mccccxxxv. Itaque ruinae erant nobilitatis antiquæ, lacera hinc atque inde palatia iacebant, & remplorum disiecta rudera, & murorum quadrati lapides vix credibilis magnitudinis, dum eo venit Pius II. auctore Gobelino, & agrestes habitabant pauci, quos sola soli retinebat vbertas. Nam Stephanus Columnensis sedente Nicolao V. muros instaura- uerat, habitatores reduxerat, & arcem in summo ver- tice montis ædificarat: isque etiam hodie situs Vrbs est, eademque facies. Portæ arcis adhuc incisa legitur hæc inscriptio:

MAGNIFICVS. DOMINVS  
STEPHANVS. DE. COLUMNA  
REÆDIFICAVIT  
CIVITATEM. PENESTRE  
CVM. MONTE. ET. ARCE  
ANNO. MCDLXXXII.

Quamquam frequentior cultiorque creuerit, & nunc sub VRBANO PONTIFICE, Principeque THADDÆO BARBERINO Vrbs Præfecto caput erigit, mouet la- certos, & quasi reddita iuuentute reflorescit.

*De agro Prænestino.*

CAPVT VI.



VA regnum Latini fuit, vniuersus ager di- ctus Latium particulatim oppidis cognomi- natus, vt a Præneste Prænestinus, ab Aricia Aricinus, scribit Varro. Latissimus ille fuit olim, & sub

Lib. 6. Comment.  
Pij II. p. 169.

Lib. 4. L. L.



sub ditione Prænestinorum octo fuisse oppida T. Liuius  
 testatur. & a Romanis agro multatos Prænestinos  
 quod Pedanis auxilium tulissent. neque tantum ob  
 rebellionis crimen, sed quod tædio Romani Imperij  
 cum Gallis gente efferata arma quondam consocia-  
 sent, idem auctor est ad annum Urbis Conditæ CDXIV.  
 Cæterum Strabo de Prænestinæ Urbis situ eiusque ad  
 res nouandas opportunitate sic scribit: *Vt alia Vrbes*  
*propter rerum copiam, & opulentiam, murorumque fir-*  
*mitatem, & situm munitum felices censentur; ita horum*  
*ergo Prænesti infelix euasit: ipsique fuerunt exitio, que*  
*alijs maximo solent esse vsui, atque presidio. Nam sta-*  
*grante bellis ciuilibus & seditionibus Vrbe Roma, sa-*  
*ctiosi homines, qui res nouas moliebantur eo velut in ar-*  
*cem confugiebant. idcirco Prænesti obsessa, expugnata,*  
*& vastata, agerque ademptus, culpa etiam in insontes*  
*translata. Vnde etiam bellorum ciuiliu[m] tempore*  
 Syllæ iussu uenisse sub hasta Prænesti inter alia splen-  
 didissima Italiæ municipia docent Florus, & S. Augu-  
 stinus. agrum etiam Prænestinum veteranis assigna-  
 tum sub Octauio Cæsare, atque ideo Fuluiam Marci  
 Antonij vxorem cum Lucio Antonio belli sedem ibi  
 cepisse contra Octauium colligitur ex Epitome T. Li-  
 uij. Cicero certe clamat: *At videmus (vt longinqua*  
*mittamus) agrum Prænestinum a paucis possideri.* Et Se-  
 xtus Iulius Frontinus libello de Coloniaj, Prænesti,  
 inquit, oppidum, ager eius a *Quinque viris pro parte in*  
*iugeribus assignatus est, ubi cultura est. Cæterum in-*  
*absoluto est relictus circa montes, iter populo non debetur.*  
 Florebat Frontinus Traiani auro; ex quo Siculus agri-  
 menfor eadem repetit.

Det. 1. lib. 5. c. 29.

Lib. 8. c. 13.

Lib. 5. Geogr.

Lib. 3. c. 21.  
De Ciuit. D.

Lib. CXXV.

Orat. 2. de Lege  
Agraria.